

www.e-rara.ch

Nicolai Leoniceni Vicentini, Philosophi & Medici clarissimi, opuscula

Leoniceno, Niccolò

Basileae, 1532

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-3939>

Nicolai Leoniceni Vicentini de Tiro seu Vipera, ad praestantem medicum Alexandrum
Agathimerum Venetum liber

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C scripta inueniuntur, incurrunt. Neque enim est necessarium secundum ipsam omnia bruta nullo excepto rabire, quæ canis rabiosus momorderit, sed si rabierint, prius homine rabire propter causam superius adductam, propter quam etiam facilius contagium patiuntur, & pereunt. Sed de his satis, ut dixi, longo opere, amplissimo eademque doctissimo sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinali Alexandro Pharnesi pridem dedicato, differuimus. Iam tempus adest, ut huic nouo operi finem imponamus, ne si ulterius progrediatur, uerum dipsadis titulum habuisse uideatur, ut quod non minorem nimia prolixitate sitim lectoris, quam suo ueneno tactis serpens sit allaturum. Vnum tantum uidetur superesse, ut si tibi libuerit Lucretia Borgia, rerum in naturæ cōtemplatione mirabilium diligens perscrutatrix, pictura dipsadem res præsentari, eius imaginem tuæ amplitudini breuibus circūscribamus. Dipsas est serpens uipera nostra minor. Quidam tamē cubitalē esse tradunt, angustiore quæ uiperæ capite: cauda extenuata, in partibus postremis lurida. Reliquum corpus maculis rufescentibus uariata. Serpentis huius uis atque natura satis ex supradictis innotuit.

Dipsadis descriptio.

DE DIPSADIS ET VIRIBUS ALIIS
SERPENTIBUS LIBRI FINIS.

NICOLAI LEONICENI

D VICENTINI DE TIRO SEU VIPERA, AD PRÆSTANTEM MEDICVM ALEXANDRVM AGATHIMERVM VENETVM LIBER.



FERANDVS nostra ætate chirurgus insignis, quum nuper Venetijs Ferrariam redisset, mihi plurimam tuo nomine salutem est impartitus, multaque mihi de te, ut de amico & cōpatre charissimo, atque olim discipulo dilectissimo curiosius percunctanti, ea retulit, quæ mihi ingentem uoluptatem attulerunt: te scilicet medicinæ artem cum summa laude in patria exercere, atque ob id maxime probari, quod in eiusdem artis operibus non uulgares iuniorum medicorum opiniones, sed probatissimos quosque ex antiquis, sicut Hippocratem & Galenum præcipue sequaris, ac contra aliter sentientes eorum dem sectas autorum, placitaque constantissime tuearis. Nouissime autem orta inter medicos Venetos, uiros sanè excellentes, de theriacis compositione dubitatione, te unum fuisse idem mihi Ferandus asseruit, qui uulgatam de tiro serpente ex Syria aduecto, opinionem fortiter oppugnaris, & pro tiro serpente peregrino uiperam, siue marasum Italiæ familiarem debere recipi, acerrima disputatione contenderis. Addiditque te sapius oporasse me eidem disputationi affuisse. Sed quoniam illud non contigit, me insuper tuo nomine rogauit, ut quas super ea opinione, quam me sapius Ferrariæ probantem audiui, quamque tu uerissimam iudicas, habeo rationes, in libro etiam de erroribus Plinij, atque aliorum medicorum à me breuiter atque succincte perstrictas, tibi pleniori oratione exararem, & fortius etiam quam ibi fecerim meam super eadem re sententiam confirmarem. Faciam equidem quod petis lubens, quamuis sciam opus esse arduum atque difficile, quum id scripturus sim, quod summe autoritatis in medicina uiris, & multorum quoque opinioni non parum aduersari uideatur.

Auideatur. Sed neq; uereri debemus contra illos ueritatem defendere, qui in suis libris ita pronunciarunt: Quicumq; alteri contradicit, si pro uero tuendo id faciat, omnis culpæ immunem haberi oportere. Neq; etiam rude uulgus tanti est faciendum, ut quod sit uitæ summopere necessariū, quoniā sit illi minus plausibile propterea reticeamus: quum præsertim non trutinæ populari, sed doctorū iudicio nostra subiiciamus. Tīrum serpentē esse à uipera diuersum Auicenna Arabs quinto sui libri de medicina uolumine, uidetur existimasse. Siquidem in uarijs theriaces descriptionibus aliquando trochiscos tiri, aliquando trochiscos ex uiperis recipi præcepit, ut plures magni in medicina nominis medici iuniores, Auicennæ (ut arbitror) auctoritatem secuti, alios esse trochiscos ex uiperis, alios ex tiro crediderint. Gentilis quoq; eiusdem Auicennæ expositor, uiperam apud hunc auctore non tīrum, non unam aliquam specialem serpentis naturam, sed pluribus generibus, seu speciebus communem interpretatur. Hæc enim sunt Gentilis super Auicennæ librum quem diximus uerba, ut apparet: Vipera sumitur pro cōmunibus serpentibus, non pro illis, quæ caput masculi in specie sua præscindunt, quando coit cum ea, unde filij facientes patris uindictam eas scindunt. Nicolus quoq; Florentinus sermone quarto, capite decimo octauo, de speciebus serpentum, & tiro, ac uipera scribens, modo unum, modo aliud ait, ut qui non adeo ex sua quātum aliorū auctorum, quorum scripta colligit, opinione loquatur: nam aliquando uiperā speciem serpentium cornutorum (ut eius uerbis utar) qui in Aegypto nascuntur insinuat, & allegat Auicennā dicentem, quod dracones interficientes sunt huius generis. Non multo post ex auctoritate Aristotelis, serpentes ouantes intra se tenentes oua, tīros nominat: Qui quidē tiri, ut nos eiusdem Aristotelis testimonio sumus probaturi, uiperæ sunt, quæ non solum in Aegypto, sed in nostro quoq; solo magno numero reperiuntur. Subiungit idem Nicolus esse tertij ordinis serpentes graciles, oblongos, uiperas nominatos, & esse illos, qui proprie inueniuntur apud nos, quorum aliqui sunt minoris malitiæ, aliqui maioris, adeo ut sint proximi surdis, & inter aspides nominantur. Idem auctor alio loco eiusdem capitis ita scribit: De uiperis etiam malis reperiuntur apud nos, & ex istis sunt quædam curte & grossæ, dictæ nostro idiomate Scorzonæ. Ex quibus uerbis apparet ipsum quoq; sub nomine uiperarum plura serpentium genera comprehendisse, adeo ut aspides uiperas nominauerit: Nam Galenum quoq; in libro de theriaca ad Cæsarem ita scribentē allegat: dictū est de regina Aegypti, quæ interfecit seipsam impositione manus super tīrum, quæ ipsa hora appositionis mortua est. Sed talem effectū Galenus in libro de theriaca ad Pisonem, nō de tiro uel uipera, sed de aspide altero serpētis genere testificatur: Malæ autē translationes, ut unicuiq; inspicere licet, magnis etiam medicinæ auctoribus dedere aberrandi occasionem: nam Bartholomæus Montagnana, medicus suo tempore illustris, simili (ut arbitror) occasione in eundem lapsus est errorē. In quodam enim cōsilio Galenū allegat libro undecimo de simplici medicina, tīrum echidnam nominantē, & hoc quidem recte: nam per echidnam Galenus tīrum seu uiperā (ut nos etiam mox declaraturi sumus) intellexit. Quæ uero postea subiungit partim uera sunt, partim falsa, omnino autem si allegationem consideramus, quod bona tanti uiri uenia dicere liceat, falsa. Ita enim idē Montagnana scribit: Et quum bene examinabis, eius scilicet Galeni sermones, uidebis quod est species tiri, quem ibidē Galenus marassum uocat, & in rei ueritate est species aspidis. In his uerbis duo sunt errata: primū quod dicit Galenum libro antea allegato uocare echidnam uel tīrum, alio nomine marassum nominari. Nam Galenus marassos, siue matrassos serpentes ullos non nominat.

Error Bartholomei Montagnanæ.

C uit, sed quosdam homines tantum Marfos appellatos, qui Romæ echidnas, seu uiperas uenabantur, nonnulla se inquit interrogasse de uiperis, quas non alio nomine quàm echidnas inibi uocat. Nunc mihi subit in mentem ridere cuiusdam literatoris ingenium, qui mihi similem errorem per calumniā obiecit, quod non alia ductus fuerim coniectura, ut uiperas esse serpentes uulgò marassos nuncupatos existimare, nisi quia Galenus undecimo de simplici medicina libro simul de uiperis, ac Marfis illas uenantibus facit mentionem, & quod ille tribuit populis nomen, ego ueluti de marassis serpentibus dictum ruditer accepissem, quasi nos ista gentilia nomina in schola puerorū sedentes non didicerimus, ne si in cunis uagientes dixerimus, fortè nimium arrogantes uideamur. Alterū est Montagnanæ error. quod echidnam quæ uipera est, siue tirus, ut ipse quoque fatetur, ex aspidum genere facit, quum tamē Galenus in libro de theriaca ad Pisonem echidnas, seu uiperas ab aspidibus manifeste secernat, ubi causam querit ob quam uiperæ alijs serpentibus, ueluti basilisco, atque aspidū generibus, in theriaces compositione preferantur. Quo etiam in loco rationem affert, cur neque ipse uiperæ totæ ad usum medicinæ adhibeantur, sed abscisso maxime capite, quoniam hoc sit in uipera præcipue perniciosum, quoniam eo, ut perhibent, coit, & maris caput Veneris dulcedine allecti hausto semine abrodit. Quæ quidem Galeni uerba etiam illud ostendunt, falsò existimasse Gentilem non huius naturæ uiperas, sed quasdam alias communes serpentes in antidoto theriaca nominato, commisceri. Quidam uero recentiores, quorum unus Lumen apothecariorū, alter Luminare maius, suos super huiusmodi rebus tractatus inscripserunt, hanc de tiro & uipera dubitationem non modo non illustrarunt, sed Cimmericis potius quibusdam tenebris inuolauerunt, adeo ut ex eorum uerbis, quid tirus sit aut uipera, nihil possimus habere exploratum: sicuti neque ex Simone Genuensi, neque autore Pandectarū, quorū tamē professionis intererat ista potius tantū ad uitā momenti, quā multa alia curæ minutoris explanari. Nam Simon Genuensis nihil, quod sciam, de tiro uel uipera: Pandectarius autem hoc unū docuit, tīrum esse serpentis speciem. Autor quoque Luminaris maioris, qui tam grandis tituli promissione debuit plus medicorum mentes illuminare, uisus est magis calumniasse: Nam post multa de tiro ac uipera ex diuersis autoribus in mediū adducta, tandem ipse subiecit, tiri serpentis tres esse species, quarum una uulgarī nomine dicitur uipera, alia tirus, alia hydra, in nostris partibus raro boni reperiuntur. Imò hodie reperitur serpens dictus Scurcio, qui pro tiro habetur. Sed credo hodie sunt ex hominibus qui faciunt theriacam absque tiro. Verum tempore quo dicti tiri non inueniebantur, collegium medicorum Venetorū ordinauit unam descriptionem trochiscorū, qui possunt poni in theriaca loco trochiscorū de tiro. Hæc ille uir, alioquin simplicium medicamentorum, quæ sunt frequenter in usu, bonus expositor, in hoc uero haudquaquam probandus, quod & sibi ipsi, & collegio medicorū Venetorū tam consummate doctrinæ hominū, ut nihil eos unquam latuisse sit suspicandum, tantam fecerit tīrorum penuriam, quorum magna est in Italia abundantia, atque utinam non esset: Nam etsi aliquis sit huius serpentis in medicina usus, plus tamen est suo ueneno noxiū, quàm remedio salutaris. Nos itaque ut nostam ætatem hac tīrorum inopia liberemus, & illos qui optime student conficere theriacen, ex Aegypto usque huiusmodi serpentes querēdi labore leuemus, quid tandem sit tirus, aut uipera, doceamus: quo quidem inuento iure poterimus gloriari, quoniam ut ex antedictis apparet, de hoc animali recentiores medici nihil nisi obscurū, incertum, inconstans, & quandoque fortuito scriptum reliquerunt. Sed ut his tenebris lucem aliquam

Alter Montagnanæ error.

Luminariorū obscuritas.

Collegium medicorū Venetorum celebre.

A quam afferamus nos, uia quadā atq; ordine progrediamur, & primū quid de tiro scribat Serapio uideamus. Hæc sunt huius autoris de carne tiri loquentis uerba: Galenus, caro tiri calefacit, & desiccatur, & resoluit fortiter, maxime quando fuerit condita cum oleo, & sale, & anetho, & porris, & aqua in quātitate necessaria. Et ut quidam dicunt, uirtus istarum carniū, est uirtus mirabiliter proueniens usq; ad cutem corporis, expellens inde superfluitates, quæ sunt in corpore. & reliqua quæ sequuntur. Quum hoc in loco Galenus à Serapione citetur, uidendum pariter ubi hæc uerba de tiro Galenus loquatur. Nusquā tamen Galenus tirum nominat, sed tantum echidnam, de qua eadem uerba libro eius undecimo de simplici medicina leguntur, quæ à Serapione ex Galeni testimonio scribuntur: Quæ quidem uerba ita apud Galenū in græco codice habentur: *Τὰς γὰρ τοῦ τῖρου ἐχιδνῶν σάρκας θερμαίνουσας καὶ ξηραίνουσας διὰ τὸν ὅτι εἰς αὐτὰς ἀπορροήσας ἐγγέλονται αἵματι καὶ ἀνθρώπων πρᾶσιν ἐν δόξῃ, δὴλον ὅτι μετὰ τὸ συμμείσθαι, ὅτι δὲ καθαίρουσιν αὐτὰ τὸ δέρματος ἅπαν σῶμα, γινώσκει οἱ πάρεστιν.* Hoc est, si latine nō tibi, sed alijs græcam linguam ignorantibus necessarium sit interpretari: Carnes igitur uiperarum inspicere licet efficaciter calefacere atq; exiccare, si quemadmodū anguillæ oleo, sale, & anetho & porro cōdiant, et aqua, uidelicet adhibito modo. Quod autē etiam per cutem totum corpus expurgent, tibi licet cognoscere. Serapio etiam in eodem capite Dioscoridem allegat de tiri carne scribentem, quæ de echidna græcus autor protulit uerba: quæ ego uitandæ prolixitatis gratia cōsulto prætereo, liberum unicuiq; relinquens ipsa in suo loco perquirere, & facta utriusq; autoris collatione, uerū ne sit quod diximus iudicare. Recte ergo, ut antea scripsimus, sensit Montagnana, tirum, seu uiperā

B à Galeno echidnam afferens nominari, nisi quod haud fideliter marassum etiā apposuit, propter quædam alia uerba quæ eodem de echidna, seu uipera, capite Galenus subiungit. Sunt autem ista: Eos qui in Roma uenant uiperas, quos uocāt Marfos, interrogauī, si quod signū haberent ostendere, propter quod uiperæ distinguerentur. Id autem relatiuum Quos, non uenatores, sed potius uiperas referre Montagnana uisus est existimasse, atque ideo echidnas, siue uiperas à Galeno marassos nuncupari. Sed casu potius quā ratione, etiam errore ducente, in ipsam incidit ueritatē. Quæ enim à Galeno echidnæ, siue uiperæ nominantur, sunt ueri serpentes à nobis marassi uulgò uocitati, quod nos non temere, aut leui cōiectura, sed inexpugnabili argumento cōuincimus. Aristoteles libro de historia animalium primo, de echidna in hunc modum differuit: *ἄλλοι μὲν ἄλλοι ὠοβόκοι οὐκ εἰσὶν, ἡ δὲ ἐχιδνα μόνον ζωοβόκη.* Hoc est, ut Theodorus uir græce & latine doctissimus est interpretatus: Verum quū ceteræ serpentes oua pariant, uipera una animal gignit. In tertio quoq; eiusdē libri uolumine Aristoteles de partu echidnæ ita scriptitauit: *Ἐχιδνὰ δὲ καὶ τὸ τῖν ὄφειον γένος πρὸς ταῦτα καὶ πρὸς ἄλλα διὰ διαφορὰς, τὰ μὲν γὰρ ἄλλα γένη τῖν ὄφειον ὠοβόκη, ἐχιδνὰ δὲ ζωοβόκη μόνον ὠοβόκησιν ἐν αὐτῷ πρῶτα.* Hoc est, ut idem Theodorus trāstulit: Serpentes etiam tam ab his supradictis, quā à se differre apertū est. Vipera animal edit postquā intra se oua peperit, quum cetera serpentium genera omnia oua edant in lucem. Quam etiam sententiam uerba illa Aristotelis ex Arabica translatione à Nicolō suprā allegata de tiris intra se tenentibus oua, id est, non parientibus extrā oua, sicuti ceteræ serpentes, sed animalia, quamuis barbare, ac satis obscure uidentur innuere. Vbiq; enim græci autores, siue medici, siue philosophi echidnam habent, translationes Arabicæ tirum supponunt, quod multis exemplis possem demonstrare, nisi fugerem prolixitatis fastidium. Viperam uero idem

C Latinis significare quod Græcis echidna, æque superfluum est multarum translationum testimonio probare, quum ipsa latini uocabuli etymologia idem luce clarius manifestat. Nam uipera apud nos inde nomen sortita est, quod ui parit Echidnae autem partum esse uiolentum, eidemque bestiae perniciosum, præter multos alios autores probatissimos Nicander quoque in suis theriacis docuit, cuius autoris super eadem re uersus à nobis in linguam latinam translatus, libro de Plinii atque aliorum medicorum erroribus inscripto, inseruimus. Quare nihil aliud superesse uidetur, nisi ut uiperam esse serpentem, uulgò marassum uel scurtionem uocatum, ultimo loco demonstremus, quamuis & hoc ipsum sit iam magna ex parte probatum, his præsertim qui marassorum naturam perspectam antea habuerunt. Quorum marassorum foeminae, ut sensui constat, non oua ut ceterae serpentes, sed animal pariunt, atque etiam ui. Visae sunt enim saepissime ex ramo arboris alto pendentes, disrupto utero, marassulos ædere in lucem. Sit tamen aliquis, qui differre marassum à uipera obstinate contendat, nonne hic pertinax aduersarius Aristotelem, totque alios grauissimos medicos atque philosophos, qui idem cum Aristotele de uipera prodiderunt, quique hanc partendi animal proprietatem soli inter serpentes uiperæ tribuerunt, aperte mentiri faciet? Tunc non sola uipera, sed alia quoque serpentum species, puta marassus, animal pariet. Quare si nefas est Aristoteli, à cuius inuentis neque natura ipsa discrepat, totque alijs summis uiris naturae interpretibus mendacium obijcere, possumus ita colligere: Si marassi sunt genus serpentum diuersum à uiperis, non sola uipera inter serpenres animal parit, sed sola uipera ex omnium serpentum genere, autore Aristotele, animal parit. Non igitur marassi sunt genus serpentum diuersum à uiperis. Hæc quidē sufficere arbitror eruditis, ad eius rei quam præcipue probare intendebamus, demonstrationem, tunc scilicet uiperam, marassum seu scurtionem, eandem esse serpentis speciem, diuersis nominibus nuncupatam, hancque unicam apud Andromachum, Galenum, & reliquos medicos uetustissimos, qui de theriaca scripserunt, in eiusdem antidoti compositione maxime commendari. Quare neque ex Aegypto tirus, tanquam nostro orbi ignotus serpens est mutuandus, neque alij trochisci, qui uicem trochiscorum de tiro suppleant, excogitandi. Sed hæc doctis ut diximus, satis. Reliquum est, ut etiā multitudinis iudicio satisficiamus: Neque enim spero defuturos uersutos homines, ut plerique sunt nostra tempestate, artem medicinae plus astu quam doctrina tractantes, qui ita aures imperitorum ludificabunt: Cauete hanc omnes ueneficam Leoniceni medicinam, marassum serpentem horrendum, pestiferum, exitialem, ipso penè nomine formidandum theriacæ pro tiro seu uipera commisceri iubentis: theriacæ inquam antidoto contra serpentum ictus, atque omnia uenena à uentibus institutæ. Quid enim hoc aliud est, nisi homines nouis remedijs atque à comuni usu abhorrentibus exitialiter iugulare? & longe uenenæ pericula fugientibus ultrò uenena porrigere? Vide quanta sit malignis hominibus apud imprudentes calumniandi facultas. Sed hanc quauis friuolam, tamen satis persuasibilem obiectionem, Galen. noster docta responsione anticipauit, docens in suis de theriaca tractatibus, uenenum uenenæ esse remedium. Quod etiā multi alij insignes medici, quibus Plinius potest annumerari, pariter docuerunt, contra omnium serpentum quamuis insanabiles ictus, earundem serpentum exta imposita auxiliari tradentes, hydram nulli serpentium ueneno inferiorem, iecur seruatum percussis ab his opem ferre, scorpionem tritum stellionum ueneno aduersari, eundem scorpionem & suæ plagæ impositum, & etiam assum intus assumptum, contra se remedium

Venenum uenenæ remedium est.

A dium esse, Viperae carnes non modo illos, quos ipsa momorderit, sanare, sed & eos, qui aliquando uiperæ iecur coctum hauserint, nunquam feriri à serpentibus, promittentes. Sed iam plura mi compater, quàm tu forte à me, quem nosti esse occupatissimum, exigebas. Ego tamen, qui sciebam me paradoxa scribere, coactus sum, sicuti alienas opiniones longo sermone destruere, ita propriam sententiam, proluxa oratione confirmare. Quæ si forte ab illis non probabitur, qui malunt didicisse, quàm discere, hortaberis homines, alioquin sua etiam sponte argumentos, ut nostra scripta non cauillis, sed rationibus contentur refellere: & nobis dent nostros errores uel diluendi, uel saltem corrigendi occasionē. Parati enim sumus quæ nos male sensisse demonstraerint, sicut philosophos decet, retractare.

DE TIRO SEV VIPERA

LIBRI FINIS.

NICOLAI LEONICENI VICENTINI IN LIBRUM de Epidemia, quam Itali morbum gallicum uocant, ad Illustrēm uirum Ioannem Franciscum Mirandulensem, Concordiæ Comitem, præfatio.

HABITAM nuper Ferrariæ, de morbo quem Gallicū uocant, disputationem, atq; à me postmodum mandatā literis, cui magis quàm tibi Ioannes Franciscus Mirandulensis dedicauerim: qui quum superioribus diebus Ferrariæ adesses, atq; ante diem ad eandē disputationē constitutam, tibi ex causis urgentibus esset discedendum, non parum dolere mihi uisus es, quod eidem disputationi nō posses interesse: neq; dissimulanter tulisti, gratissimam rem me tibi facturū, si quæ non potuisses præsens accipere, haberes absens ex meis literis, uel potius uolumine ad id dedicato, legendi facultatē. Et quoniam non te latebat magnæ contentionis disputationes à medicis, atq; philosophis pertractatas, nō ueritatis inuentione, sed iurgijs atq; clamoribus, plerumq; terminari, illud insuper à me expectare uidebaris, ut non solum quænam inter disputantes opinio tandem esset, pro uera recepta tibi significarē, sed mei quoq; iudicij calculus inter ambigentes sententias manifestarē. Quid plura: ego qui tibi propter tua eximia in me beneficia omnia debeo, pollicitus sum facturum me quod optabas: arduum quidem opus, ac penè temerarium, nisi ipsum excusaret obsequiū. Ecce igitur iam tibi fidem promissam exoluo, quanto tardius quàm tu forte cupiebas, tanto maiore cum scœnore. Non solum enim eam, quæ præcipue defendebatur Ferrariæ, opinionem, sed quascunq; alibi plurimum uigere intellexi, conatus sum pro mei ingenij imbecillitate cōsutare, meamq; postremo loco exemplis, rationibus, ac nobilissimorum medicorum autoritatibus confirmare. Multa præterea Auicennæ dicta, quæ ad propositam contemplationem pertinebāt, duximus in controuersiam. Quare qui hæc lecturi sunt queso boni cōsulant; neq; me propterea impudentem aut insolentem iudicent, qui ausim magni nominis autores incessere. Facimus hoc multorum ueterū, ac præcipue Aristotelis summi philosophi exemplo, qui tanti fecit ueritatē, ut pro ea asserenda scripserit etiā contra præ-